

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0665

0663

0669

0659

0674

0654

0714

0614

0764

0564

0164

patet fol. 119. B. In secunda nocte sollicitabantur pro militia sua, et cum illa nocte eam deduxerunt sic, ut patet fol. 183 B. Sed per noctem illam, quia nihil singulare prae manibus habebant, otiosis operibus et vanis vacabant, non quidem omnes, sed illi duntaxat, qui minus affectuosi erant, quorum, heu! major pars erat. Videamus ergo, in quibus occupati fuerint illi inde voti, ingrati, sine affectione et sine disciplina peregrini. Quidam perfunctorie locis sanctis trans cursis se debant et manducabant ac bibebant de sacculis suis, quos repletos cibis intulerant, et in longum cavillationes pro trahebant, et mox somno pressi loca solitaria et angulos quietos petebant, in quibus dormiebant tota nocte, ad VI vel VII horas, ac si in cameris suis jacerent. Alii magis crapulosi quam pigri provisionem sibi fecerunt de bono et forti vino, et de affectivis cibis ad potandum. Et illi post locorum sanctorum cursoriam visitationem considerunt, ingurgitantes se, ac si illa sanctissima ecclesia esset taberna, nec finem faciebant, nisi vasa omnium sociorum suorum essent evacuata.

Alii minus provisi, cum sua vascula evacuassent, sedebant et caussas mundi inutiles tractabant, de principibus, de litibus, de stipendiis militiae suae, de comparatione bellatorum, in quibus omnibus detractiones, litigia, mendacia propriae jactantiae variae fuerunt in medium sine cura sancti loci deducta.

(216 A) Alii saturati diurnis cavillationibus cum risibus in ecclesia spatiabantur et capellas locorum sanctorum intrabant, et post brevem orationem simulatam stabant et colloquebantur sine reverentia sancti loci, omnia quae incidebant, et loca sancta sine utilitate inasservabant. Tali modo se habuit ante aliquos annos quidam miles alemannus, quem aliis in exemplum Deus punivit. Nam dum cum sociis dissolute circumiret, ingressus est cum eis in dominicum monumentum et stans ex stolida quadam temeritate dixit: ecce, socii mei, ut non haesitem me fuisse in sepulchro Domini, et ut vos de hoc possitis testimonium perhibere, recipiatur hoc, quod facturus sum pro signo certitudinis. Et hoc dicto ascendit super sanctam tumbam et se super eam supinus posuit in longum se extendens, et dum sic jaceret ridens, ecce, manus Domini affuit eumque paralysi percussit et corpus

Ende

Anfang

